

regis eadem die in Budae expugnatione ope divina e Turcis reportatum celebrandum instituit", et alia, quae pariter leguntur in sexta lectione Officii nominis B. M. V., quod in Ecclesia universalis recitatur Dominica infra octavam Nativitatis SSmae Virginis, ibi: „Quod quidem venerabile nomen, jam pridem in quibusdam christiani orbis partibus speciali ritu cultum Innocentius XI. Romanus Pontifex ob insig- nem victoriam sub ejusdem Virginis Mariae praesidio de immanissimo Turcarum tyranno cervici populi christiani insultante Viennae in Austria partam et in perenne tanti benefici monumentum in Ecclesia universalis singularis annis Dominica infra octavam Nativitatis B. V. M. celebrari precepit.“

16. *Absolutis his, quae duas postremas respiciunt lectiones et quae faciliora esse visa sunt, redire necesse est ad primam lectionem, in qua Sanctus Dominicus dicitur institutor SSmi Rosarii monitu Beatisimae Virginis, quae ipsi inspiravit, ut illud omni mentis fervore praedicaret, tamquam singulare praesidium ad haereses evertendas et vitia extinguedenda; cumque asseratur, Summos Pontifices Leonem X., s. Pium V., Gregorium XIII., Sixtum V. ac reliquos alias Summos Pontifices usque ad haec tempora in suis apostolicis diplomatis dixisse, Sanctum Dominicum fuisse institutorem et auctorem rosarii, quaerendum in primis est pro recto examine, an ea revera fuerint a dictis Pontificibus asserta.*

17. Quoad Summum Pontificem Leonem Papam X. haec leguntur in ejus Constitutione, quae est in ordine secunda in appendice tom. 3. Bullarii veteris, in qua confirmat indulgentias confraternitatis rosarii, ibi: „Sane pro parte dilectorum filiorum prioris et fratum praedicatorum do-

mus Coloniensis nuper exhibita peti-  
tio continebat, quod olim, prout in  
historiis legitur, a s. Dominico quae-  
dam confraternitas utriusque sexus  
fidelium de Rosario ejusdem B. V. M.  
nuncupata ad honorem angelicae salu-  
tationis instituta et in diversis mundi  
partibus praedicata fuit sequentibus  
signis; sed cum ipsa confraternitas  
decurso temporis fere neglecta fuisset  
et in oblivionem transisset ac anno 1475  
civitas et dioecesis Coloniensis gravi-  
bus bellis premeretur, eadem confrat-  
ternitas etc. in Ecclesia dictae domus  
innovata et de novo instituta fuit.“

18. Quoad s. Pium V. haec sunt,  
quae habentur in ejus constitutione 86.  
Bull. tom. 2., ibi: „Spiritu Sancto, ut  
pie creditur, afflatus beatus Dominicus  
ordinis fratrum Praedicatorum auctor,  
cujus institutum et regulam, cum in  
minoribus essemus, expresse professi-  
sumus, qua nunc temporis occasione,  
quo Albigenium haeresi partes Gal-  
liarum et Italiae misere vexabantur,  
et tam multos excaecaverat saeculares,  
ut in Domini sacerdotes et clericos  
saevissime furerent, levans in coelum  
oculos etc., respiciens modum facilem  
et omnibus pervium ac admodum pium  
orandi et precandi Deum, Rosarium  
seu Psalterium ejusdem B. Mariae V.  
nuncupatum, quo eadem Beatissima  
Virgo salutatione angelica centies et  
quinquagies ad numerum Davidici  
Psalterii repetita et oratione dominica  
ad quamlibet decimam cum certis  
meditationibus totam ejusdem D. N.  
Iesu Christi vitam demonstrantibus  
interposita, veneratur, excogitavit ex-  
cogitatumque per sanctae rom. Ecclesiae  
partes propagavit orandique modo  
praedicto per assecras beati Dominicis,  
fratres videlicet ordinis praedicti, di-  
vulgato et a nonnullis accepto, coe-  
perunt Christifideles iis meditationibus  
accensi, iis precibus inflammati in alios  
viros repente mutari, haeresum tene-

brae remitti et lux catholicae fidei  
aperiri, et ad hanc orandi formam  
pro locorum diversitate sodalitates per  
fratres ejusdem ordinis ad hoc a suis  
superioribus legitime deputatos institui  
et confratres in eis describi.“

19. Quoad Gregorium XIII. haec  
leguntur in ejus constitutione 2. Bull.  
pariter tom. 2., ibi: „Quia vero pre-  
ces ad Deum oblatae eo gratiores  
ad illius conspectum ascendunt, quo  
dignioribus intercessoribus et pio ali-  
quo orandi modo offeruntur, memores,  
b. Dominicum ordinis Praedicatorum  
institutorem, cum et Gallia et Italia  
a perniciose premerentur haeresibus,  
ad iram Dei placandam et Beatissimae  
Virginis intercessionem implorandam  
piissimum illum orandi modum insti-  
tuisse, quod Rosarium seu Psalterium  
B. V. Mariae nuncupatur.“

20. Quoad Sextum V. haec leguntur  
in ejus constitutione 21. Bull. tom. 2.:  
„Attendentes itaque, quam religioni  
nostrae fructuosum fuerit SSmi Psal-  
terii Rosarii nuncupati, gloriosae sem-  
per Virginis Mariae almae Dei geni-  
tricis institutum, per b. Dominicum  
ordinis fratrum Praedicatorum aucto-  
rem, Spiritu Sancto, ut creditur, affla-  
tum, excogitatum quantaque exinde  
mundo provenerint et in dies prove-  
niant bona et quod propterea utrius-  
que sexus Christifidelium confraterni-  
tates sub invocatione Rosarii ejusdem  
B. Mariae V. in diversis orbis Eccle-  
siis ac capellis et altaribus canonice  
institutae etc.“

21. Inter alios Pontifices, qui s. Do-  
minicum dixerunt auctorem et insti-  
tutorem SSmi Rosarii, referri merito  
possunt Clemens VIII., Alexander VII.,  
Innocentius XI. et Clemens XI.; Cle-  
mens quippe VIII. loquens de Ecclesia  
s. Sixti in via Ardeatina in suis apo-  
stolicis literis editis anno 1601 et per  
extensem relatis inter monumenta con-  
ventus Tolosani de Rosario part. 1.

pag. 113. num. 9. ait, ibi: „Deinde  
in Ecclesia ejusdem monasterii s. Do-  
minicus B. Virginis Rosarium instituit  
et promulgavit anno Domini 1216.“  
Item Alexander PP. VII. in suo Brevi  
impresso in Collectione seu Bullario  
confraternitatum ordinis Praedicatorum  
Romae typis cameralibus impresso anno  
1668, sic inquit, ibi: „Cum, sicut nos  
alias acceperamus, in diversis orbis  
christiani partibus pia erga s. Domi-  
nicum ordinis fratrum Praedicatorum  
fundatorem et Rosarii B. V. Mariae  
auctorem devotio inducta fuisset, prout  
id ipsum de praesenti etiam viget.“  
Et consimilia verba leguntur in alio  
Brevi venerabilis Dei servi Innocentii  
XI. expedito anno 1683 et impresso  
inter dicta monumenta conventus To-  
losani citata pag. 113. num. 15. et  
demum in alio Brevi san. mem. Cle-  
mentis PP. XI., editi dies 25. Januarii  
1704, in quo concessit indulgentias ad  
septennium s. Dominicum tertia feria  
coletibus, in quo profecto rerum  
themate non videtur, ullo modo esse  
dubitandum de his, quae exponuntur  
in prima lectione, summos videlicet  
Pontifices Leonem X., s. Pium V.,  
Gregorium XIII., Sextum V. et alios  
summos Pontifices usque ad haec tem-  
pora in suis apostolicis diplomaticis  
professos fuisse, quod incredibili cum  
animatorum fructu saluberrimum insti-  
tutum SSmi Rosarii fuit a s. Dominico  
inventum.

22. Sufficere haec deberent ad rem,  
de qua nunc agitur; ut enim inquit  
Malvenda in annalibus ordinis Praedi-  
catorum ad annum 1218 pag. mihi 132.:  
„Romanorum Pontificum apertissima  
attestatione exploratissimum esse con-  
stat, s. Dominicum Praedicatorum or-  
dinis fundatorem, virum apostolicum,  
ipsisque apostolis propemodum con-  
ferendum, tam admirabilis ac colestis  
plane inventi, nempe Rosarii, non sine  
Spiritus Sancti afflatu, extitisse cogi-

tatorem, auctorem, promulgatorem et clarissimum ubique terrarum christiani orbis paeconem"; sed cum multa inter auctores de primo SSmi Rosarii inventore et auctore enarentur, nec omnino incongruum nec inopportunum futurum esse existimo, si varia de hac re placita in praesenti exponam non animo impugnandi ea, quae in tot apostolicis constitutionibus relata sunt, sed ut patefacta uniuscujusque contrarii asserti debilitate tuta permaneant et inconcussa romanorum Pontificum asserta.

23. *Prima itaque opinio est eorum, qui Rosarium Ecclesiae ipsi coaevum volunt et asserunt, unde Basseilus ad imperatorem Maximilianum in lib. de corona Rosarii ait: „Coronarius salutandae Mariae ritus novitiis inventis nequaquam adscribitur, siquidem cum ipsa pene Ecclesia pullulavit“, et cohaerenter ad haec non desunt alii referentes Rosarium ab ipsa B. V. Mariae potuisse recitari, nec enim implicat, quin ipsa, quae numquam peccavit, dicere potuerit absque falsitate, *dimitte nobis debita nostra*, orando videlicet non pro se sed pro corpore fidelium, uti theologice perpendunt Toletus ad cap. 12. Lucae annot. 13., et Baptista Novatus tom. 1. de eminentia Deiparae cap. 3. quæst. 15., et quin ulterius eadem B. Virgo salutationem angelicam recitare potuerit ad recolendum mysterium ex salutatione peractum, uti late prosequitur Theophilus Raynaldus oper. tom. 7. pag. mihi 67. num. 28. et pluribus seq., et quia a potentia ad actum non deducitur argumentum ad rem concludens, hinc est, quod alii ad ulteriora procedendo probare intendunt, non solum potuisse recitari sed recitatum fuisse a B. Virgine Rosarium, cum pars Coronae seu Rosarii ejusdem Virginis conservetur inter reliquias hic in Urbe in Ecclesia s. Mariae in Campitelli, uti praeter Theophilum*

loco citato testantur Joannes Carolus Poteza in libro visitationis Pii PP. V. fol. 232. part. 2., Macrus in notitia vocabulorum ecclesiasticorum in verbo Globuli, Elias de Amato tom. 1. epist. erudit. pag. 362., Pompejus Sarnelius Episcopus Vigiliensis in suis epistolis ecclesiasticis tom. 6. epist. 5., et comprobari dicitur ex sequenti monumento Honorii PP. III., quod ita se habet:

"In nomine Domini amen, anno 1217, Pontificatus Domini Honorii PP. anno ejusdem secundo, indictione 6., mensis Aprilis die 5., consecrata est Ecclesia haec ab eodem summo Pontifice (sermo est de Ecclesia s. Mariae in Campitellis) et universalis Papa, per cuius sanctas manus reconditae sunt in hoc altari B. M. V. multae reliquiae Sanctorum et Sanctarum, videlicet de ligno sanctae Crucis, de lacte, capillis et vestimentis gloriosae Virg. Mariae. Item pars coronae de Pater Noster Virginis Mariae."

Cum autem multa sint, quae huic obstant assumpto, formalis videlicet et juridica recognitio memorati monumenti Honorii PP. III., et quod verba illa: *pars coronae de Pater Noster Virginis Mariae*, Rosarium indigent ab ipsa Beata Virgine adhucum, cum naturaliter etiam et sine violentia significare possint Rosarium ab alia persona adhucum et in honorem B. V. Mariae recitatum, et cum praedicto tempore, quo usus Rosarii auctore sancto patre Dominico, ut infra demonstrabitur, incepit, potuerit Rosarium inter reliquias recondi ob frequentia miracula, quae in ejus recitatione Deus operari dignabatur, uti plene habetur apud Bzovium in continuatione annualium Cardinalis Baronii ad annum 1213 num. 10. et seq., hinc est, quod pedes tuto figi non valent in hac prima opinione, quae pietatem potius redolet quam veritatem.

24. *Secunda opinio est eorum, qui Rosarii institutionem ad ipsos apostolos et signanter ad sanctum referunt Bartholomaeum.* Ad hoc assertum videtur b. Alanus de Rupe in suo opere de psalterio Christi ac Mariae olim compilato a Joanne Andrea Coppenstein et a mendis expurgato a Dominico Riera, sic etenim ipse ait pag. mihi 8.: „S. Bartholomaeus apostolus quoque eam, hoc est, angelicam salutationem et die centies et centies nocte frequentasse proditur cum totidem adgeniculationibus. Quo in numero quatuor insunt quinquagena, quorum tres sic oratae psalterium Christi Jesu constituant ex centum quinquaginta dominicis orationibus constans, sicut illud ex totidem angelicis salutationibus dictis Mariae efficit psalterium. Quartam vero quinquagena adjicit apostolus ob devotionis causam, ipsi Deoque notam; inde Ecclesia seu Congregatio Christifidelium cupiens imitari exemplum orandi synagogae, ad modum psalterii Davidici, quod centum quinquaginta psalmis compleatur, eundem ad numerum, totidem orationes dominicas et angelicas salutationes junctim suis in comprecationibus usurpavit.“ At haec opinio non habet plus roboris quam alia antecedenter exposita, adeoque Suarez de religione tom. 2. lib. 3. cap. 9., de Rosario num. 12. post relatam hanc opinionem ait: „alii denique usque ad tempora apostolorum referunt“, loquitur de institutione Rosarii, „quod magis incertum est.“

25. *Tertia opinio est eorum, qui ad antiquissimos Eremi patres inventum referunt SS. Rosarium, cum certum sit, numeratas per calculos preces fuisse ab illis usurpatas.* De Paulo siquidem monaco haec leguntur apud Sozomenum lib. 6. hist. eccl. cap. 20., ubi ait: „Orationi tantum vacabat, trecentas orationes velut tributum quod-

dam quotidie persolvens Deo. Ac ne forte aberraret ab integro numero, trecentis lapidibus in sinum suum congestis ad singulas precationes singulos projiciebat lapides. Assumptis itaque lapillis planum fiebat, orationes numero lapillorum aequales jam complevisse.“

26. Concordat Palladius in historia lansiaca cap. 23., ibi: „Hic habebat trecentas preces expressas et praestitutas, totidem habens in sinu suo calculos et in unaquaque oratione jaciens unum calculum“, et rursus cap. 24. exponens accessum ejusdem Pauli ad s. Macarium Alexandrinum narrat, propter spiritualem utilitatem ei dixisse: „Abba Macari valde affligor. Coëgit enim Christi servus dicere causam, propter quam molestia afficiebatur. Is vero ei dixit: In quodam vico habitat quaedam virgo, quae trigesimum annum jam exeratur, de qua multi mihi narrarunt, quod praeter sabbatum et dominicam nullo alio die vescitur sed toto tempore trahens hebdomadam et post quinque dies comedens facit septuaginta orationes. Hoc cum didicissem, me ipsum reprobavi, quod vir creatus his viribus corporis, non potuerim facere plus, quam trecentas orationes. Ei respondit s. Macarius dicens: Sexagesimus annus agitur, ex quo centum constitutas facio orationes, et laborans manibus ea, quae sunt ad alimentum necessaria, et fratribus utilitatem reddens conversionis, nec mea me indicat ratio, quod fuerim negligens; si tu autem, cum trecentas facias orationes, judicaris a conscientia, aperte ostendis, te non pure orare vel posse plures orationes facere quam facias.“

27. Ostendunt hucusque deducta antiquissimum morem repetitionis orationum et earum numeri per calculos, ex quo inferri posse videtur ad ipsum Rosarium, quod repetitis orationibus

*dominalibus et angelicis salutationibus per calculos numeratis constat;* quocirca Rosweidus in notis ad Palladii historiam lansiacam perpendens mox narratum factum Pauli monachi sic loquitur: „Hinc probatur vetus usus calculorum Rosarii, ut frustranei sint haeretici, qui vel recentem inventionem vel superstitionem calumnientur“, uti legitur pag. 783. n. 33. At id nullo modo probare videtur usum Rosarii ab eremitis tunc adhibitum, cum ex allegatis Sozomeni et Palladii testimonii desumatur, repetitas orationes fuisse ab illis usurpatas et etiam per calculas numeratas, sed non habeatur, quod ab eisdem repetitae fuerint orationes dominicales et angelicae salutationes, ex quibus, uti notum est, conflatur Rosarium.

28. *Quarta opinio est ea, quae institutionem Rosarii referit ad s. Benedictum, sed cum inter fideles tempore s. Benedicti salutatio angelica seu oratio, quae dicitur Ave Maria, non esset in usu, hinc est, non ita facile suaderi posse, quod institutum Rosarii ad s. Benedictum sit referendum.*

29. Et quidem, quod tempore s. Benedicti non esset inter fideles in usu angelica salutatio, patet, cum dicti usus ante saeculum undecimum nullum reperiatur vestigium; symboli etenim tantummodo et orationis dominicae ante saeculum undecimum mentio habetur, quocirca Eligius in homiliis ad populum ab Audoeno relatis ait: „Symbolum et orationem dominicam cum fide et devotione dicite“, et in sermone Leonis PP. IV. legitur: „Attende, ut parochianis vestris symbolum apostolorum et orationem dominicam insinuelis“, nec alio modo loquuntur Concilia Cloveschoviense in Anglia canone 10., et Germanica: Francosardiense, Moguntinum anni 1813 et alia, et Odo Parisiensis Episcopus Mauritii ab anno 1196 successor inter primos

fuit, qui statutum edidit salutationem angelicam addens orationi dominicae et symbolo, ibi: „Exhortentur populum semper Presbyteri ad dicendam orationem dominicam et Credo in Deum et salutationem B. Virginis.“ Idemque omnino totidem verbis anno 1246 praescribitur a Decanis ecclesiae Rothomagensis et abinde citra salutationis angelicae precatio fere in legem evasit apud omnes, unde si ex his et aliis pluribus facile cumulandis desumitur, tempore s. Benedicti orationem salutationis angelicae non fuisse in usu apud fideles, redit assumptum in superioribus insinuatum, quod institutio Rosarii ad s. Benedictum referri non potest.

30. *Quinta opinio est eorum, qui venerabilem Bedam auctorem faciunt Rosarii; sed cum ea, quae mox de s. Benedicto dicta sunt, sibi vindicent locum etiam quoad venerabilem Bedam, non potest idcirco venerabilis Beda haberi pro institutore SSmi Rosarii, unde Joannes Mabillon Presbyter et monachus Benedictinus in sua præfatione ad saeculum quintum n. 125. inquit: „Si salutationis angelicae usus nondum invaluerat, ut superius ostendimus, aevo s. Benedicti neque Bedae, frustra ejus institutio ad illa tempora revocatur“, et concordant Natalis Alexander in historia eccles. saeculi XIII. et XIV. art. 1. sub n. 5., ibi: „Sane Rosarii originem quidam ad s. Benedictum, alii ad ven. Bedam frustra referunt. Aevo s. Benedicti aut venerabilis Bedae salutationis angelicae in precibus recitandae usum nondum invaluisse probat doctissimus Mabillonius.“ Etiam Ignatius Hyacinthus Amat de Graveson in historia eccl. tom. 5. p. 523.: „Praeterea originem Rosarii nec ad s. Benedictum nec ad venerabilem Bedam referri posse, patet evidenter argumento, quod mihi suppeditat doctissimus Pater Joannes Ma-*

billonius præfatione in saeculum quintum Benedictinum, quod est Ecclesiae decimum, ubi ex omnibus antiquis statutis luculentissime probat, aevo s. Benedicti aut ven. Bedae, neendum salutationis angelicae in precibus recitandae usum invaluisse eumque saeculo dumtaxat undecimo in Ecclesia frequentari coepisse, ex quo palam sequitur, nec s. Benedictum nec venerabilem Bedam Rosarii auctores esse potuisse, cum eorum aetate nondum apud fideles esset in usu recitatio salutationis angelicae, quae tamen, ut omnes plane norunt, præcipua pars Rosarii censemur.“

31. *Haud urgente, quod apud Anglos Rosarium dicitur Bedes, hujus etenim anglae vocis etymologia non descendit a verbo Beda, quasi quod ven. Beda fuerit auctor Rosarii, sed a Beltides, quae certum numerum orationum significat, sed non significat Rosarium ex orationibus dominicis et salutationibus angelicis compositum, ut infra demonstrabit et bene perpendit Mabillon citata præfatione in saeculum quintum num. 125., ibi: „Huc id torquent, quod Rosarium apud Anglos Bedes nomine appellatur tamquam a Beda auctore. At potuit alia de causa sic vocari, puta in Beltide.“*

32. *Sexta opinio institutorem facit Rosarii quemdam Petrum eremitam civem Ambianensem, de quo sic loquitur Polidorus Virgilius lib. 5., de inventoribus rerum cap. 9., ibi: „Ceterum, ut rationem cum Deo habere possemus, quoties ipsam dominicam præcēm cum angelica salutatione recitaremus, est modus orandi postremo inventus per calculos, ut ita dicam, ligneos, quos vulgus modo præculas modo patres nostros appellat. Hi numero quinquaginta quinque ita ordine distinguuntur, ut post denos singuli majusculi affigantur filo; sunt enim perforati, et quot hi sunt, toties do-*

minicam præcēm, quot illi, toties angelicam salutationem ter numerum ineundo recitent terque symbolum brevius inferant et id Deiparae Virginis psalterium nuncupant. Ejus rei auctor fuit Petrus eremita homo gallicus civis Ambianensis, qui abhinc annis quadraginta triginta, hoc est circiter annum salutis humanae millesimum nonagesimum sanctitate floruit egitur cum rom. Pontifice, ut bellum asiaticum a nostris sumptum fuerit, quo Hierosolyma recepta est. Hodie tantus honor ejusmodi calculis accessit, ut non modo ex ligno fuccino et corallio, sed ex auro argentoque fiant sintque mulieribus instar ornamenti.“ Haec ille, cui quoque adstipulatus est Genebrardus lib. 4. chronographiae pag. 593. antiquae editionis.

33. Adversus hoc Polydori Virgili effatum facere posse mirabiliter videatur celebre adagium Cardinalis Baronii in apparatu ad annales n. 12., ibi: „Quod a recentiore auctore, de rebus antiquis sine alicujus testimonio veteri profertur, contemnitur.“

34. Urget etiam, quod scriptores recentiores referentes ad Petrum Rosarii institutionem non sunt inter se concordes, quis videlicet fuerit ille Petrus; cum nonnulli asserant, Petrum hunc fuisse monachum Benedictinum, et alii velint, fuisse celebrem eremitem sacri belli tubicinem tempore Urbani II., uti fuse habetur apud Theophilum Raynaudum tom. 7., in Diptychis Marianis p. 231. Rursus Wilelmus Tyri Archiepiscopus scriptor diligentissimus saeculi duodecimi in libris de bello sacro, quibus sacrarum expeditionum historiam complectitur a Concilio Claramontano sub Urbano II. anno 1095 usque ad annum 1180 saepe mentionem facit Petri eremita Ambianensis, nec ullum facit verbum de instituto ab ipso Rosario. Denique

probabile admodum est, hanc assertionem originem habuisse ex his, quae contigerunt ineunte saeculo duodecimo et quae leguntur apud Herimann. in spicilegio Dacherii tom. 12. pag. 414 et 415; in libello etenim ab eodem Herimanno conscripto de restauratione coenobii s. Martini Tornacensis narratur, secundam constructionem Lessensis in Hannonia monasterii factam fuisse a Theodorico de Ovesniis et Ada ejus conjugi et quemdam eremitam in proxima silva visionem habuisse de dicto Theodorico in Dei judicium vocato, ex quo in bello contra comitem Balduinum nonnulla monasteria combussisset et Beatissimam Virginem pro eo intercessisse, „quia Ada ejus uxor angelicam salutationem singulis diebus sexages explicasset et vigies quidem prostrata, vigies genibus flexis, vigies autem stando, aut in Ecclesia aut in cubiculo suo aut in aliquo secreto loco, Ave Maria gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui, commemorare et in tantum id diffamatum fuisse, ut etiam Gosequinus filius alterius Adae, qui avunculo suo praefato Theodorico successerat, easdem salutationes Beatae Mariae quotidie replicaret militibusque suis eas dicere suaderet“; probabile etenim admodum est, quod eremita hic fuerit a Polydoro confusus cum Petro eremita, sed cum praedicta Adae devotio in Beatissimam Virginem potuerit ad summum esse initium coronae Beatae Mariae, sed non rosarii, de quo nunc agitur, unusquisque facilis negotio concludere poterit, non esse rosarii institutionem referendam vel ad eremitam, de quo Herimannus, vel ad Petrum eremitam, de quo Polydorus, vel ad Petrum monachum Benedictinum, de quo alii auctores apud Theophilum verba fecerunt, uti bene prosequitur saepe allegatus Pater Mabillon *prae-*

*fat. in saeculum quintum n. 127., ubi recitato Herimanni testimonio subdit: „Hoc initium puto coronae Beatae Virginis, quam eo tempore, id est ineunte duodecimo saeculo, novam fuisse ex his Herimanni verbis intelligitur, quod si eremita ille idem sit cum Petro eremita, cui a Polydoro Virginio inventum rosarium tribuitur, hinc apparet, quo fundamento dictum sit, quia scilicet hanc Adae in Beatissimam Virginem devotionem in publicum divulgavit.“*

35. *Septima opinio est eorum, qui rosarii institutorem faciunt venerabilem fratrem Alanum de Rupe Ordinis Praedicatorum, sed haec opinio nulli innititur stabili fundamento, quandoquidem cum post mortem Sancti Dominici consuetudo recitandi rosarii vel hominum negligentia vel daemonis arte paulatim excidere coepisset, ita ut pene extincta videretur, Alanus hic sui temporis celeberrimus concionator collapsam s. rosarii devotionem totis viribus restituit, uti non solum legitur in breviario dominicano die 8. SSmi Rosarii in secundo nocturno Officii, sed etiam plene habetur apud Joannem Trihemum Ordinis Divi Benedicti monachum et scriptorem eruditissimum in opere de scriptoribus ecclesiasticis editionis Basileensis anni 1494, ubi vero Alanus ait: „Alanus de Rupe, natione Theutonicus Ordinis Praedicatorum, vir in divinis scripturis eruditus, in declamandis sermonibus ad populum excellentissimae opinionis, vita et conversatione Deo devoutus et Beatae Mariae semper Virginis amator praecepitus ejusque rosarii et famulatus promotor venerandus, a qua etiam singulari dono supernae consolationis aliquoties meruit recreari et jam in aeterna felicitate refoveri etc., moritur autem in conventu Luvallensi sub Frederico Imperatore III. et Sixto Papa IV., anno Domini 1474, inductione*

septima, in vigilia Assumptionis B. M. V., cuius rosarium et Passionis Christi recordativum psalterium, quod diu jam fuit neglectum, revocavit ad mentes et exercitia hominum, ob cuius honorum confraternitatem constituit, quae per Apostolicam Sedem confirmata in dies augetur et multis salutare praebet exercitium.“

36. Additur, quod circa haec tempora, anno videlicet 1479, Summus Pontifex Sextus IV. rosarium approbavit et illud recitantibus Indulgentias concessit; cumque praedictus Pontifex in sua Constitutione tom. 1. non loquatur de rosario tunc instituto sed potius restituto, ibi: „Sane pro parte Dilecti Filii nobilis viri Francisci ducis et dilectae in Christo Filiae nobilis mulieris Margaritae ejus contoralis ducissae Brabantiae et pluribus aliis locis, crescente fidelium devotione, ab aliquo tempore citra innovatus est certus modus sive ritus orandi pius et devotus, qui etiam antiquis temporibus a christifidelibus in diversis partibus observabatur, videlicet, quod quilibet volens eo modo orare, dicit qualibet die ad honorem Dei et B. V. M. et contra imminentia mundi pericula toties angelicam salutationem Ave Maria, quot sunt psalmi in psalterio Davidico, videlicet centies et quinquagies, singulis decem salutationibus hujusmodi orationem dominicam semel praeponendo et ipse ritus sive modus orandi psalterium Mariae Virginis vulgariter nuncupatur.“ Signum evidenter hoc est, non fuisse rosarium tunc primo institutum a venerabili Alanu de Rupe.

37. Et quod notatu dignum est, cum adhuc extet opus ejusdem Alanus de Rupe de psalterio Christi ac Mariae, scriptum ad Episcopum Tornacensem et olim compilatum a Joanne Andrea Cappestein et a mendis expurgatum a Dominica Riera, uti supra dictum fuit

et in ejus cap. 8., idem Alanus totus sit in probanda antiquitate rosarii et hoc ipsum caput concludat sequentibus verbis: „Quibus ex omnibus de plano liquet, quod dicere vel praedicare psalterium Virginis Mariae minime de ulla novitatis nota juste suspectum haberi culparique possit: adeo ritus et antiquissimus et honoratissimus in Ecclesia, tametsi per incuriam hominum et temporum injuriam subinde torpuit neglectus“, nemo est, qui non videat, immerito asseri, hunc Alanum fuisse rosarii institutorem sed eum potius pro restauratore et propagatore habendum esse adeoque omnia complectendo, bene subdit Navarrus in Miscellaneis de oratione, ubi loquitur de rosario, pag. mihi 743, ibi: „Primum igitur fuit, a quo habuit originem hoc genus orandi, ad quod respondit frater Albertus de Castellano vir pius et eruditus illustrissimi Ordinis Praedicatorum professor in eo libro, quem super rosario praefato copiosum scripsit p. 10, id, quod habet recepta sententia, nempe quod gloriosus ille beatus Dominicus patriarcha et institutor illustrissimi Ordinis Praedicatorum circa annum 1200 inspirante ipsamet Virgine Matre tradidit genus hoc, quod tunc novum fuit, orandi et praedicandi per 150 Ave Maria et 15 Pater noster, quod appellavit psalterium Dominae nostrae, eo quod sicut psalterium Davidicum constat ex centum et 50 Ave Maria et quod licet a principio, praedicante ipso Dominico et fratribus ejus, fuisse fervide acceptum, postea tamen coepit tepide excreri et fere omitti, sed anno 1460, ipsamet Virgo resplendentissima apparuit in Rupe Britanica patri Alanus fratri hujusdem Ordinis et egregio doctori egregieque sibi devoto, simul adhortata fuit, ut magna cura et studio per suam suorumque fratum Praedicationem ad illud denuo orbem chri-

stianorum adhortaretur; quia non defuerunt, qui renovationi novae illius novi orandi inventi detraherent, Franciscus Dux Britanicae et Margarita ejus uxor aliique multi supplicarunt obnoxie Sixto IV., qui tunc Ecclesiae praeferat universae, ut ad gloriam Dei et Virginis Matris auctoritate apostolica illud approbaret, quod lubentissime anno insequenti 1479 fecit."

38. *Ultima opinio est eorum, qui ad s. Franciscum referunt rosarii institutionem;* sed in hac confutanda tempus terendum non est, cum modernioribus tantummodo temporibus publicari coepit et quidem potius per picturas quam per scripturas; depicta siquidem fuit in civitate Tolosae imago Beatissimae Virginis, quae rosarium porrigebat s. Francisco et Clarae reque delata a fratribus Ordinis s. Dominici ad vicarios generales Archiepiscopi Tolosani prohibitum fuit fratribus Ordinis minorum hasce retinere et exponere picturas; cumque a judicio vicariorum generalium interposita fuisset appellatio ad hanc S. R. C., S. C. praedictum confirmavit judicatum, referente clarae memoriae Cardinali Francioto Sacraeque Congregationis resolutionem Alexander PP. VII. apostolicis literis confirmavit et in harum omnium executionem fratres minores Tolosani sese solemniter obligaverunt ad removendum dictas picturas, uti fuse refertur inter monumenta conventus Tolosani collecta a Joanne Jacobo Percin dicti conventus alunno, part. 3., de rosario cap. 7. et seqq., et apostolicae literae Alexandri VII. sunt impressae in bullario romano tom. 6., in ordine 149, inter eas dicti Pontificis, ibi: „Auctoritate apostolica tenore praesentium declaramus etc. non posse tabellam exponere, in qua Beatissima Virgo Dei Mater det rosarium s. Francisco et

Clarae, prout etiam praefata omnia fieri prohibemus et servari mandamus.“ 39. *Quapropter, si rosarii institutio nec ad Beatissimam Virginem nec ad apostolos nec ad patres in Eremo degentes, nec ad s. Benedictum nec ad venerabilem Bedam nec ad Petrum eremitam nec ad Petrum monachum nec ad venerabilem Alanum de Rupe nec ad s. Dominicum Franciscum referri potest, referenda erit ad s. Dominicum,* uti habetur in apostolicis constitutionibus supra relatis. Cum enim ille strenue pugnaverit adversus Albingenses, qui Christum Dominum et Beatissimam Virginem blasphemis et haeresibus scelestissime offendebant, idemque sanctus ordinis fratrum Praedicatorum sub auspiciis Beatissimae Virginis fuerit institutor, verisimile admodum est, ut ad retundendam impiae haereseos insaniam et excitandam in suo novo ordine devotionem erga Sanctissimam Virginem, vitae Christi mysteria simul et Mariae preces et laudes sacro et novo rito in Ecclesiam introducere studuerit. Nulla intercedente dubitatione quoad impia praedicta Albigensium asserta, cum eorum meminerint Gulielmus de Nangis in chronico de anno 1209 et Lucas Fulensis antiquus scriptor lib. 3. cap. 3. in opere adversus Albingenses et Petrus monachus Cisterciensis nepos et comes unius ex 10 Abbatibus missis ab Innocentio III. ad dictam haeresim expugnandam apud Duchesne in historiae Franc. scriptoribus; et in eo quod attinet ad institutionem ordinis fratrum Praedicatorum sub auspiciis Beatissimae Virginis, adeo testimonium Vincentii Bellovacensis in speculo historiae, lib. 3. cap. 69., ubi haec refert de s. Dominico adhuc vivente: „Dominicus totum se ad orationem constituit, aures divinae clementiae reginaeque misericordiae Beatae Mariae, cui tamquam speciali patronae curam or-

dinis totam commiserat, importunis clamoribus cordis interpellans“ etc. Huc quoque spectat illud, quod legitur apud Nicolaum Trivet in Spicilegio Dacheriano ad annum 1217, ubi ait, Beatissimam Virginem apparuisse Reginaldo Aurelianensi decano eidemque habitum, quo nunc utuntur fratres Praedicatorum, ostendisse, subdendo, *hic est habitus ordinis tui;* ut interea silentio praetereantur alia, quae habentur apud Thomam de Cantiprato, lib. 2., de apibus cap. 10., ubi scribit, Beatissimam Virginem apparuisse monacho Cisterensi viro pietate insignissimo et sic eum fuisse allocutam: *Meos fratres et filios recommendo et revelato pallio fratres Ordinis Praedicatorum sub eo contentos ostendit;* eodemque libro cap. 53. narrat aliam apparitionem Beatissimae Virginis cuidam fratri Ordinis Praedicatorum, qui aegrotabat, cuique dixit: *Ego mater Christi patrona Ordinis tui praemunire te veni.*

40. Adstipulantibus huic piae, sed rationabilis conjecturae nonnullis historicis documentis, quibus ostenditur *ab ipso s. Dominico rosarii confraternitates fuisse institutas,* et rosarii devotionem post ejus obitum fuisse in suo ordine propagatam et subinde ab ejusdem ordinis fratribus ad universum catholicum orbem extensam, ita ut rosarium habitum fuerit tamquam peculiare et pium patrimonium a s. Dominico suo ordini relicturn.

41. *Quod autem a s. Dominico fuerint institutae rosarii confraternitates,* colligitur ex citata Bulla Leonis X. et ex ejus verbis supra relatis et iterum referendis: „Nuper exhibita petitio continebat, quod olim, prout in historiis legitur, a s. Dominico quaedam confraternitas utriusque sexus fidelium de rosario ejusdem B. M. V. nuncupata ad honorem angelicae salutis instituta et in diversis mundi par-

tibus praedicata fuit sequentibus signis“ etc. Subditque Mabillonius praefatione in quintum seculum benedictinum ex Thoma Kempensi in chronicis s. Agnetis n. 128.; „Institutio itaque confraternitatis de rosarii anno 1475, facta est in alma universitate Coloniensi per doctores Sac. Paginae Praedicatorum Ordinis, immo potius renovata est, quia per reverendissimum patrem Dominicum legitur praedicata, licet ad tempus fuerit neglecta et oblivioni tradita.“ Elapsisque triginta quatuor annis ab obitu s. Dominici concessa fuit anno 1254 ab Alexandro IV. Summo Pontifice Indulgentia confraternitati SSmi Rosarii erectae in Ecclesia fratrum Praedicatorum civitatis Placentiae et apostolicae hujus Pontificiae literae promotae ex archivio conventus s. Joannis dictae civitatis Ordinis Praedicatorum impressae sunt per extensem post tomum secundum historiae ecclesiasticae Placentiae Petri Campi in gesto privilegiorum n. 108. p. 406. tom. 2., ubi idem auctor, p. 216, institutionem refert dictae confraternitatis in Ecclesia eorumdem fratrum Praedicatorum.

42. Quod pariter post obitum s. Dominici fuerit SSmi Rosarii devotio in universo Ordine Dominicano propagata, clare desumitur ex antiquis historiarum monumentis erudit collectis, tomo primo scriptorum Ordinis Praedicatorum inchoata a fratre Jacobo Quetif et absoluto a fratre Jacobo Echard, tom. 1. p. 852: „Jam quoad usum apud nos hujus precando formulae, quod in hac re praecipuum est, antiquum esse nihil certius, vide ad annum 128. Frater Petrus Dacus, ubi laudatur quidam Nicolaus ejus socius, cum Parisios venit in gymnasio sanjacobeo theologiae operam datus anno 1269 et qui anno sequenti, cum eadem rediens Colonia transito et B. Christianae Stumbellensi dedit suum Pater noster,